



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 62. An ergo etiam sine periculo scandali sit licitum aliquem inducere ad ebrietatem, ut sic impediatur aliud majus peccatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

alios plures citant *Mend. q. 18. Castrop. t. 6. d. 6. p. 6. Gob. n. 25.*, vocans practicè probabilem, *Dian. p. 5. t. 7. R. 18.* vocans etiam probabilem; & rationes sunt, imprimis quia minus peccatum censetur includi in majori, licet sit diversæ rationis, quia majus habet malitiam minoris, & aliquid ampliùs: deinde quia non suadetur malum absolutè, sed sub conditione, si esset facturus majus; præterea non suadetur ut malum est, sed ut est impeditivum majoris mali: denique suadetur commutatio majoris mali in minus, si-ve electio minus mali præ majori, quæ bona est: consentit *Con. de act: supern: d. 3. n. 48. Castrop: supra his non acquiescit, sed dicit hoc modo esse distinguendum; si ille, qui paratus est facere majus malum, simul cogitet facere minus, tum licebit suadere solum minus, quia hoc tantum est retrahere voluntatem à majori malo; si autem non cogitet facere minus malum, non licebit, quia suadens verè esset causa hujus minoris mali.*

223 Omnes hæ sententiæ sunt probabiles, & sententia *Laym:* videtur probabilior, ad quam accedit sententia *Castropalai*: nihilominus sententia *Sanchez* etiam est probabilis.

224 *Q. 62. An ergo etiam sine periculo scandali sit licitum aliquem inducere ad ebrietatem, ut sic impediatur aliud majus peccatum. R.* Secundum *Laym:* & alios hoc est illicitum, quia nunquam licet inducere ad actionem, quæ intrinsecè mala est: è contrà secundum *Sanch.* & alios, & expressè secundum *Less:*, cujus sententiam *Diana, Mend. Gob.* & alii censent probabilem, est licitum: fatenturque *Laym. & Dicast.* licitum esse tali homini offerre vinum fortissimum, cujus vires ne-  
sciat,

sciat,  
omit  
cusam  
nes,  
justè  
tit, f  
cet.

*Q*  
suade  
vel pe  
deter  
vel p  
retur  
& po  
non  
Paul  
fure  
mal  
hono  
quo  
ferè  
re c  
perf  
hæc  
ad su  
prà  
S  
qual  
deter  
Tam  
pecc  
fure  
ab a  
mic

sciat, quo absque peccato suo inebrietur, sicque omittat majus peccatum: imò *Less. & Baldel.* excusant eum, qui ad ebrietatem provocaret latrones, à quibus detineretur, vel alios à quibus injustè custodiretur; quod *Gob.* suprà n. 30. admittit, si ad materiale tantùm ebrietatem provocet. Vide dicenda l. 5. n. 318. & 343.

*Q. 63. An sit peccatum scandali vel injustitiæ, 225*  
*suadere alicui, ut potius furetur Petro quàm Paulo, vel potius diviti quàm pauperi. R. §. 1.* Si fur esset determinatus ad furandum, vel multum à Petro vel parum à Paulo, sed indeterminatus à quo furetur, docet *Pont.* apud *Dian.* p. 11. t. 6. R. 58. & post *Vasq. Tamb.* in Dec. l. 5. c. 1. §. 4. n. 11., te non peccare nec teneri restituere, si suadeas, ut Paulo furetur minus, sic impediendo ne Petro furetur majus, quia tantùm optas eum è duobus malis eligere minus, & hìc debet potius respici honor & minor offensa Dei, quàm damnum, quod infertur Paulo: sed communis sententia ferè omnium est cum *Sanch.* suprà n. 24. non licere consulere minus malum inferendum alteri personæ, in individuo eam determinando, quia hæc habet æquè jus ad suum minus, quàm alia ad suum majus: & consentit cum aliis *Carden.* suprà n. 162.

*§. 2.* Si fur sit determinatus ad furandam æ- 226  
 qualem quantitatem à Petro vel Paulo, sed indeterminatus à quo furetur, putant *Lug. Pont. Tamb.* n. 64. aliique apud *Dian.* p. 5. t. 7. R. 7. te non peccare, si, cum sis amicus Petri, suadeas, ut potius furetur Paulo, quia amicus potest prospicere, ut ab amico potius avertat malum quàm à non amico: & similiter dicunt, si velit furari pecuniam,

te